



OTto filius fuit Ludolphi, nepos Brunonis, pronepos Vuigperti, & abnepos Vitekun di ducum Saxoniae. Itaque cum ex tam illustri familia ortus esset, in omnibus quoque uirtutibus educatus fuit. unde etiam in uirum clarissimum euasit, & patri in Saxoniae ducatu cum fratre Brunone, à quo Brunswicensis urbs nomen accepit, successit. Huic Arnolphus Cæsar Luithgardam filiam uxorem dedit, atque ob insignem prudentiam res magnas Imperij ei commisit. Cum autem postea Ludouicus Cæsar Arnolphi filius sine sobole è medio esset sublatus, atque Imperij nomen à Caroli Magni stirpe defecisset, uniuersus Franco-

rum, Saxonum, & Germanorum procerum concursus ad Ottonem Saxonem fiebat, eo quòd rebus gestis summa prudentia, & maiorum sanguine esset nobilissimus, atque eum Augustum salutabant, anno noningentesimo duo decimo. Sed cum is senecta inualidus esset, excusatione ætatis usus, inquit:

Sí rebus Germanicis mea dextra aut ars rerum administrandarum usui esse posset, nullum corporis laborem, nullam animi sollicitudinem pro communi salute recusarem.